

HOMILIA IX.

De mansione b. Virginis cum filio et spon-
sa patienter luta in Aegypto, et de re-
ditu eorum in Iudaeam sermonem insi-
stitivum; pariterque vaticinium illud:
Ex Aegypto vocavi filium meum, ex pro-
fesso elucidamus.

Dum de mansione b. Virginis in Aegypto
acturus sim, non possum non quaedam huic
argumento valde consentanea de terra Aegypti
ex Abulensi commemorare. Aegyptus regio
quaedam est quasi inaccessibilis ex omni par-
te, nisi per mare ex parte occidentis, ab oc-
cidente enim habet mare mediterraneum, et
per navigium ad eam accessus est. In quadam
tamen parte occidentis, quae est versus aus-
trum ultra Alexandriam, ad meridiem habet
confinia cum quadam provincia Barbariae,
quae vocatur *Varchina*, estque inter eam, et
Aegyptum desertum xv. dietarum. Ab austro
terrae Aegypti est desertum Aethiopiae duo-
decim dietarum, et ultra usque ad Nubiam;
est enim ista provincia quaedam pars Aethio-
piae, in qua praedicavit b. Mathaeus, et gen-
tes illius regionis christianae sunt usque ho-
die, de quo doctissimus Abulensis in primo pro-
logo Hieronymi, qui incipit *Mathaeus* (cum
primo q. 3). Ab oriente est desertum Thebai-
dum usque ad mare rubrum per tres dietas ad
locum, qui *Beronice* dicitur, et est portus Ae-
gypti in litore maris rubri volentibus versus
Indiam navigare. Contra Vulturum vero, et
Septentrionem est desertum magnum usque ad
terram Canaan, sive Iudaeorum, in quo qua-
draginta annis morati sunt Israelitae, quod
desertum non potest minus quam octo diebus
transiri. Est autem in Aegypto arbor bonus, si-
bique conveniens, et terra magis temperata,
quam Syria, et Palaestina: totum autem bonum
terrae Aegypti oritur ex Nilo flumine, to-
tam terram irrigante. Flumen autem hoc con-
tra conditionem omnium aliorum fluminum cre-
scit, et decrescit quolibet anno, summa regu-
laritate, statutis, et certis temporibus: in-
cipit enim crescere die nativitatis s. Iohannis,
et crescit continuo usque ad diem exaltationis
sanctae Crucis, in mense septembris; et ab illa
die incipit decrescere continuo usque ad diem
Epiphaniae: et cum apparer terra arida, proi-
cit agricola semen in mense ianuarii, et ma-
turas fruges colligit in martio. Est autem po-
sita quaedam columna marmorea, ut idem A-
bulensis (*sup. Matth.*) testatur, in insula qua-
dam parva, in medio fluminis, quae est prope
civitatem antiquam nomine Memphis, quae
est iuxta Cairum, et in illa columna ponunt
signa secundum quae cognoscunt sequentis men-
sis copiam: itaque in diversis partibus eius-
dem columnae varia exarantur signa, et se-
cundum quod aqua Nili crescentis pertingit
usque ad unum, vel alterum signum, cognos-
citur quantitas frugum futurarum: unde vi-
augmento fluminis, cognoscit certissime agri-
cola quantos fructus habiturus sit. Nec eum

fallit opinio. In singulis locis prope Nilum e-
rant antiquitas, et sunt virgae positae, secun-
dum quas mensurabatur incrementum Nili. I-
stae autem ponebantur quondam in templis i-
dolorum in laudem ipsorum, quasi ab eis pro-
veniret incrementum Nili, et foecunditas anni. In-
de in Alexandria ponebatur virga illa in templo
Isidis, quae erat maxima Deorum, et Deorum
Aegypti. Sed postquam fides Christi suscepta
est in Aegypto, posita fuit illa virga in Eccle-
sia christianorum in honorem Christi, ut patet
ex historia ecclesiastica.

Ceterum cum sermo occurrat valde histori-
cus in hac homilia, nec possum, nec debeo
silentio praeterire quae de loco, et tempore,
quo b. Virgo in Aegypto permansit, sancti Pa-
tres, et probati auctores edixere. S. Anselmus
(*sup. cap. secu. Math.*) habitasse tradit in urbe
Heliopolis nuncupata, quae solis civitatem
significat. Idem opinatur d. Thomas (*in Matt.* 2),
Hugo Cardinalis, et d. Bonaventura (*de vita
Christi cap. 12*), et Abulensis (*quas. 60. Math.* 2),
ait Virginem in civitate Heliopoli, et Babylonis
habitasse. Fuit enim quaedam in Aegypto
to Babylon a Cambise Persarum rege condita,
ut vult Abulensis, urbi propinqua, quae Cairo
appellatur. Adrichomius Memphis scribit ap-
pellam Babyloniam, postea Cairum. In his
civitatibus loca ostendi scribit Abulensis, in
quibus Virgo vixit. Fontem praeterea quendam
non a Christianis solum, sed a Saracenis etiam
in veneratione habitum, cuius aqua infantem,
et quibus illum involvebat panniculos abluisse
testatur. Brochardus in geographia Aegypti,
Deiparam in loco quem *Matharaem* appellat,
domicilium habuisse refert iuxta hortum balsa-
mi; est autem locus hic inter Heliopolim,
et Cairum situs. Brochardus vero aliter (*in de-
scrip. Terrae Sanctae parte 2. cap. 4*) ait: Inter
Heliopolim, et Babyloniam Aegypti, medio fere
loco, est hortus balsami, irrigatur a fonte par-
vo, sed ubere, in quo fama est beatam Virginem
puerum Iesum saepe lavasse, panniculosque eius
mundasse. Est et ibidem lapis, super quem di-
citur eosdem exsicasse, et haec omnia veneran-
tur a Christianis, et Saracenis; haec ille. In-
sensus (*cap. 11. Concor.*) apud peregrinum quen-
dam, qui loca haec inviserat, se invenisse tra-
dit locum, in quem Christus fuga subductus
est ab incolis Aegyptiis, *Matharaem* vocari,
et distare a Cairo decem mille passuum. Mau-
ros quoque eo loco, ubi fertur Virginis fuisse
habitatio, ardentem perpetuo lampadem
conservare. Balsami etiam meminit. Ex his
apparer, Virginem nec in civitate Heliopoli,
nec Babylone, sed Cairum, in oppido inter
Heliopolim, et Aegyptum, sive Bbylonem Ae-
gypti situ habitasse iuxta balsami hortum,
et fontem; ideoque dici incolas fuisse Heli-
opolis: in hac urbe Iacob cum filiis suis
habitasse scribit Iosephus (*libro 2. Antiq. cap. 4*):
*Iussit, inquit, Pharao Iacob cum filiis dege-
re in Heliopoli.*

In iis ergo locis exulare voluit Dominus, in
quibus Iacob olim, et Israelitae exulaverant;
in tractu Heliopoleos, idest *urbis solis*, sol Ae-
gypti, et mundi Christus voluit habitare: in
eodem tractu Heliopolitano extruxerat olim tem-

plum Onias Iudaeus sacerdos. Ptolemeus, ait
Ioseph (*lib. 7. de bello cap. 30*), locum Oniae de-
dit centum octoginta stadiis a Memphi distan-
tem. Stabat hoc templum tempore Christi: si-
quidem, ut Hierony. scribit Dan. 11. usque
ad Vespasiani imperium sletit: Onias, inquit,
sacerdos assumptis Iudaeorum plurimis fugit in
Aegyptum, et a Ptolemae honorifice susceptus ac-
cepit eam regionem, quae Heliopoleos vocabatur,
et concedente rege templum extraxit, quod per-
mansit usque ad imperium Vespasiani. Sub oc-
casione Oniae Pontificis infinita examina Iu-
daeorum in Aegyptum confugerunt; haec Hie-
ron. Habitabant etiam tempore quo Virgo Ae-
gyptum petiit, in Aegypto Iudaei plurimi: nam,
ut scribit Philo (*in Flaccum*), suo tempore non
minus quam decies centena millia Iudaeorum
habitabant Alexandriam, Iolamque regionem,
quanta patet a Catabathmo Lybiae usque ad
terminos Aethiopiae: vixit autem Philo tem-
pore Apostolorum. Hermopolis civitas quoque
Aegypti fuit, in quam venisse Deiparam tra-
dit Sozomenus, adiuncto non vulgari miracu-
lo (*lib. 5. Hist. eccles. cap. 20*), ubi haec scri-
bit: *Memorant arborem esse, quae Persis dicitur
Hermopolis, quod est oppidum Thebaidis,
cuius fructus, aut folium, aut particula aliqua
corticis aegrotis admodum morbos a compluribus
depulerit. Nam traditum est, Ioseph cum propter
Herodem assumptis secum Christo, et Maria
sancta Deipara fugisset, venisse Hermopolim; at-
que simul ut portae appropinquavit, istam ar-
borem, licet plane maximam, adventu Christi
turbatam esse, atque ad solum usque se inflex-
tisse, et Christum adorasse. Atque haec quidem
de hac arbore, sicut a multis audire, a me com-
memorata sunt; haec ille.*

Quot autem anni beata Virgo Aegypti in-
cola fuerit, respondit d. Epiphanius per duos
annos: arbitratur enim ille duobus post Ae-
gypto abisse, ut supra diximus. Nicephorus
(*l. 1. c. 14*), et Druthmanns (*in Matth. 2*), hunc
exilium tres annos tribuant; Lucidius (*lib. 7.
cap. 2*) quinque; Adrichomaeus sex; septem ve-
ro annos alii, videlicet Ammonius, Origenis
praceptor (*in armonia evang.*), Gloss. ordin. di-
vini Anselmus (*in Matth. 2*), div. Thomas, divus
Bonaventura (*de vita Christi cap. 13*), Magist.
(*histor. cap. 23*), divus Antoninus (*prima parte
tit. quint. cap. 1. §. 4*), Platina (*de vita Christi*),
Sabellicus (*libro 1. An. 3*), Iacobus Bergomen-
sis (*in vita Deip. Virg.*), Dionysius Carthusianus
(*in serm. de Inn.*) Abulensis (*in Matth. 2. qu. 91*),
et Petrus (*de Natalibus in Catalogos. Verum
paucae quae septem huius peregrinationis
annos fuisse colligitur hunc in modum:
Christus natus est anno 32. Herodis, eodem-
que anno in Aegyptum profectus, et ex Aegypto
tessie Math. hoc loco post obitum Herodis
reversus. Tot ergo annos in Aegypto vitam e-
git cum matre, et Iosepho, quot inter annum
Herodis 32. et eius obitum interfuxerunt. He-
rodes vero obit anno regni sui 37. ut constat
ex chronico Eusebii, et aliis: hinc efficitur Deiparam
in Aegypto annos circiter quinque, vel
sex egisse. Eruditissimus Maldonatus (*in Matth.
2*) partim ab hac sententia non descends in
hunc modum philosophatur: ait enim: *Qui se-
CARTHAGENA de B. M. V.—Vol. II.**

tem annos fuisse dicunt, auctorem secuti eum
qui scholasticam, ut vocant, scriptis historiam,
non probant. Neque qui tres, ut Nicephorus (*lib.
1. cap. 44*). Omnium fere sententia est, duos
fuisse annos, quod Epiphanius (*haer. 51*) vide-
tur approbare; res forsitan non ita magni re-
fert, sed si volumus quod in ea est probabilis-
simum pererrare, tria nobis principia sequen-
da sint, quae ex evangelica lectione facie pro-
bantur. Unum est, hanc fugam eodem anno con-
tingisse quo Christus a Magis adoratus, et qui-
dem non multo post adorationem: hoc enim ver-
ba illa significant: Tunc Herodes videns quod
illusus esset a Magis: et haec: Qui cum recessis-
set, ecce angelus Domini apparuit in somnis
Ioseph: quae quavis, ut dicimus, non signifi-
cant statim, tamen certe significant non multo
post Magorum discessum, et Ioseph ut fugeret
admonitum, et Herodem pueros occidere coepisse:
Alterum est eodem anno quo Herodes mor-
tuus est, Christum ab Aegypto recessisse: hoc e-
nim illa indicat verba: Defuncto autem Herode,
ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph,
dicens: surge, et accipe puerum, et matrem eius,
et vade in terram Israel. Tertium est, Magos
paucis post natalem Christi diebus advenisse.
Quibus tribus principiis, etsi alia duo ex profan-
is addamus historicis, quot annos Herodes re-
gnaverit, et quot regni eius anno Christus na-
tus fuerit, facile spatium temporis, quo moratus
fuerit in Aegypto, reperiemus. Ex his ergo duo-
bus postremae principii alterum est certum, He-
rodem triginta septem annos regnasse, Iosepho
(*libro 1. de bello Iud. cap. 21*), et Eusebio Chroni-
co certissimis testibus. De altero, duobus an-
nis inter se auctores dissentiunt. Nam alii qua-
dragesimo primo Imperatori Augusti Christum
natum scribunt, ut Irenaeus (*lib. 3. cap. 25*),
et Tertullianus aduersus Iudaeos; alii quadra-
gesimo secundo, ut Eusebius (*lib. 1. hist. Eccles.
cap. 5*), et in Chronico, et Epiphanius (*haer. 51*).
Rursus autem quis annus Augusti in quem He-
rodis annum incidit, altero dissident anno.
Nam alii quadragessimum primum Augusti, tri-
gesimum primum Herodis, ut Eusebius; alii
trigesimum secundum, ut Epiphanius fuisse di-
cunt. Si ergo Irenaei et Tertulliani senten-
tiam in eo sequamur, ut dicamus Christum qua-
dragesimo primo Augusti anno natum fuisse; Eu-
sebio vero in eo, ut eum annum trigesimum
primum Herodis fuisse credamus, necesse erit
Christum saec in Aegypto integros mansisse an-
nos, aut etiam septem, si illum ipsum quo fu-
git, idest trigesimum primum Herodis, numero-
mus. Quae est illa prima, et ut apparet vetus
opinio. Si vero Irenaeum, et Tertullianum in
Augusti, Epiphanius in Herodis sequamur an-
nis, restabunt anni quinque; aut si primum nu-
meremus saec quo fuerit Christus in Aegypto,
totidem secundum Eusebii computationem erunt
anni, si eum solum, et in Augusti, et in He-
rodis annis sequamur. Sin autem Eusebio in an-
nis Augusti, Epiphanius in annis Herodis credi-
mus, Christus fuit in Aegypto, ut plurimum quin-
que; si primum numeremus, ut minimum qua-
tuor. Itaque hoc tantum certum est, neque plures
septem, neque pauciores quatuor in Aegypto
annos commemorari potuisse. Quare opinio illa

vulgaris per duos, et altera illa Niciphori per tres in Aegypto fuisse annos, nihil habet prorsus probabilitatis; nisi dicamus Magos duobus annis natum Christum adorasse, quod omnes refutant, et nemo id sibi persuadere potest.

Quidquid tamen sit de hac tanta opinionum varietate, illud tamen certissimum est, et absque ulla controversia beatum Iosephum cum sacra illa familia tandem in Aegypto habitasse, quamdiu de reditu in Iudaeam non fuit motus ab divinitus, iuxta illud quod angelus ei praedixerat (Matth. 2): *Esto tibi usque dum dicam tibi*: in quo mirabile patientiae et longanimitatis in tribulationibus exhibetur documentum, nimirum, ut tandem nobis placeat alligi, et tribulari, quamdiu divinae voluntati placeant. Ille clamat quo usque haec mihi molesta tentatio durabit? usque dum dicam tibi: Usquequo tot iniurias mihi latas sustinebo? usque dum dicam tibi: Usquequo hanc honoris, et pecuniae iacturam patiar? usque dum dicam tibi: Usquequo in hac lite a iudicibus iniuste vexabor? usque dum dicam tibi. Apostolus ab angelo satanae tentatus, oraliberari ab infesto illo hoste; usque quo gravabitur? usque dum dicam tibi. Cum Abrahami obedientia a Domino exploraretur, iussit ei, ut filium immolaret, intempesta nocte iter arripiret, ligna super humeros ei imponeret, secum illum duceret in montem, eundem ligaret, enssem evaginaret, brachium ad percutiendum levaret; usque quo anima huius venerabilis patriarchae contristabitur? usque dum dicam tibi. Lascivi sibi senes a Susanna refutati innotant illam accusare, si eorum libidini non consentiat; deinde dissidentem acriter accusant, falsum testimonium imponunt, processum multis calumniis plenum configunt, illam publica sententia damnant, purificationem eius non admittunt, precibus non emolliuntur, lapidibus obruenda, in publicum traduntur; usque quo ut liberetur imploratum ab ea divinum auxilium differetur? usque dum dicam tibi. Clausus fuit Noe in arca, diluvium universam inundavit terram, cessat aquarum inundatio, arca non aperitur, Noe non habet clavem, corvus mittitur ab eo, et non revertitur, columbam egredi permittit, quae reversa ramentum olivae virentis ore detulit, sed adhuc Noe manet clausus; usquequo S. Noe in arca claudetur? usque dum dicam tibi, non est vestrum nosse tempora, vel momenta quae posuit Pater in potestate sua. Non nostrae, sed divinae voluntatis munus est, tribulationi terminos praefigere, ut repleat illi, ac sapienter docuit insignis illa foemina Iudith, quae cum vidisset Hebraeos decrevisse per quinquaginta dies dumtaxat expectatos imploratum ab eis divinum auxilium, acriter illos increpavit dicens (Judith. 8): *Non est iste sermo qui misericordiam prooveat, sed potius qui iram excitet, et furorem accendat. Et qui estis vos qui tentatis Dominum? Potestis vos tempus miserationis Domini, et in arbitrium vestrum diem constitutis ei?* super quem locum Glossa ordinaria ait: *Cum affecti sumus, nec tempus, nec modum Domino praeterbere debemus, sed magis arbitrio eius cuncta relinquamus. Unde quidam Patrum in*

oratione sua dixisse legitur: *Fili Dei, Fili Dei, sicut scis, et sicut vis, miserere mei. Scimus Christum Dominum Iudaeis instanter postulantis, ut descenderet de cruce, si Filius Dei est, descendat de cruce, et promittentibus illis, se credituros si descenderet, ipse perseveranter pendens in cruce, quo usque divino consilio amotus fuit ab ea, implens melius quam omnes quod dictam est per angelum, esto tibi usque dum dicam tibi. Illud tamen pro Christo laborantes, et varias tribulationes patientes consolari inter alia frequenter puto, quod experientia comperit tribulationes praesagia esse futurarum consolationum, etiam in hac vita.*

Enimvero misericors Deus molestis rebus quaedam etiam incunda permiscuit: quod certe in sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque iucunditates sinit habere continuas, sed tum de adversis, tum ex prosperis iustorum vitam quam admirabiliter varietate coarctavit. Iob multis divitiis affluens, postmodum tamen in tantam egestatem venit, ut testa sanien corporis in serquilio iacens rediret.

Abraham oraculum acceperat divinum filios eius multiplicandos sicut stellas caeli, postea tamen filium suum Isaac, qui sibi promissus fuerat futurus in gentem maguam, iugulare praecipitur a Domino: Iacob benedictionem, et primogenituram accepit a patre, sed continuo fugere compellitur a facie fratris sui mortem illi machinantis: Ezechias rex insignem victoriae palmam contra Sennacherib reportavit, coelitus ibidem misso angelo qui centum octuaginta mille hostium interemit; et cum prospero hoc evenire gauderet, ecce incidit in gravissimum morbum, ita ut ad portas mortis appropinquaret: Ioseph in domo patris prae omnibus filiis diligebatur ab eo, sed a fratribus per invidiam Ismaelitis venditus est: David a foemina applauditur ob expugnatum gigantum Goliath, sed a Saule mortis insidiae illi parantur. Sed quid moror in his commemorandis, cum similem gaudii et doloris vicissitudinem in sanctissimo Iosepho Deiparae sponso, immo et in Christo Domino cernamus, ut ait d. Ioann. Chrysostomus (homil. 8. in Matth.)? *Videndo quippe s. Ioseph gravidam sponsum, in corturbationem incidit maximam, atque in horribilem quandam cogitationum tumultum: acerba illum de puella a dulteri suspicio mordebat; sed adfuit repente angelus, suspensionem solvens malignam, et timorem hunc prorsus extingvens. Deinde videns puerum natum, maxima exultatione repletus est; sed rursus huic etiam gaudium periculum grande successit, cum tota utique civitas turbaretur, ipse rex fureret, et ad necem puerum quaereret: sed et hunc novererit alia rursus laetitia subsequuta est, apparitio videlicet stellae, et Magorum adoratio. Post hanc quoque iucunditatem iterum periculum, iterumque formido: Querit, inquit, Herodes animam pueri, et fugere Christo Domino necesse est, et in longinquam hominis instar infirmi, et imbecillis transire regionem. Atque in huius figuram legitimus olim patriarcham Iacob, ut sacra Genesios refert historia, fecisse dilecto filio suo Ioseph tunicam polymitam, hoc est, colorum varietate distinctam:*

non dissimiliter Deus dilecto filio suo vestem talarem fecit ex candido prosperitatis, et nigro adversitatis colore mira varietate exornatam. Ecce ergo quomodo, tam capitis, quam membrorum, tam Christi, quam iustorum vita ex prosperis, et adversis mirabili quadam varietate contextitur. Unde Isaias (cap. 38) textoris telae sanctorum vitam comparavit: *Præcisa est velut a texente vita mea: et merito quidem: quia sicut pulvis florum genere contextitur tela, filis orditoribus, et filis subtegminis in formam crucis per illos transversantibus; ita Deus iustorum vitam prosperis nimirum, et adversis contextam esse vult: prosperi successus ad ordiendam telam, adversi vero ad tramam faciendam deservit. Unde quemadmodum si per filios orditores non transiret quasi formam crucis formando filii subtegminis, seu tramae, non texeretur tela; ita si per prosperos nostros successus non pertransiret adversi, quasi formam crucis in nobis experirent, in fine quidem vitae nullam tunc contextam telam inveniremus, quia nostra paupertas, et nuditas cooperiret: et sicut in tela textoris praestant filii subtegminis, seu tramae filii orditoribus; ita in iustorum vita pluris aestimantur dies desolatorii, quam consolatorii, dies doloris, quam gaudii, dies lugubres, quam alacres. Mos inolevit apud antiquos, ut dies vitae suae hac ratione enumerarent, dies quidem prospero candido lapillo, quem in urna mittebant, adversos vero, et molestos nigro designabant; et inde cum moriebantur, vitae eius bonitatem, aut pravitatem coniciebant: nam si lapilli candidi plures erant, quam nigri, id honestae vitae argumentum arbitrabantur; e contra, si nigri candidos excedebant: ad quod alludens poeta Martialis dixit:*

Hunc Macrine diem signa meliore lapillo,
Qui tibi habentes apponet candidus annos.

Ego vero multo aliter iudicium ferendum esse censeo: adversi enim dies, et nigri, non prosperi et candidi humanam vitam reddunt honestiorem, et laudabiliorem: quod probe agnosces Iob dixit (cap. 7): *Ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas numeravi mihi. Mirabilis quidem est sermo iste: omissis integris mensibus, ait Iob, solum connumerasse sibi noctes laboriosas vitae suae.*

Equidem per dies vacuos, scilicet a laboribus et molestiis, dies prosperos intelligebat; per noctes vero laboriosas, tempus quo multis laboribus oppressus fuerat. et ideo ad significandum digniores esse dies adversitatis et doloris, quam prosperitatis et gaudii, propterea omissis diebus prosperis, solum sibi connumerandos iudicavit laboriosas, et molestas noctes; quasi diceret: Deus curam habeat prosperorum dierum quos mihi imperitus est, illos enumeret, et a me rationem eorum quaerat, mihi solum incumbit dies adversos enumerare, quia eos aequanimiter patiens (2. Tim. 4): *Reposita est mihi corona iustitiae, iustitiae inquam talis, ut nisi debitum solvat, se ipsum mihi praebens in praemium, clare se manifestans, in integrum minime illud solvet. Atque haec est*

quod agnosces David utilitatem quam ex adverso die, et lugubri sibi comparavit, dixit (Psalm. 79): *Cibabis nos pane lacrymarum: panem vocat lacrymas, tum quia sicut panis hoc habet singulare, ut quoscumque cibos comedamus, illos semper comitetur, ita Propheta capiens, ut omnia opera sua poenitentiae lacrymae comitarentur, ideo lacrymas vocat panem: tum, quod nostro proposito inservit, quia hac singulari proprietate praeditus est panis, quod licet alii cibi aliquo pretiosi, ad nauseam non semel provocent, panis tamen nemini bona valetudine gaudenti in fastidium venit; ita quidem se habent labores respectu iustorum: honor est illis onus, fastus est infestus dies, dignitas nausea, divitiae non placent, continuus tamen labor pro Christo susceptus, semper gratus et iucundus est ei; nunquam illum despicit, semper sibi arduum, sciens per illum sibi vitam parari ad veram beatitudinem, iuxta illud Davidis (Psalm. 127): *Labores manuum tuarum, quia manducabis; beatus es; et bene tibi erit. Ecce assignat labori duplicem fructum, unum de futuro, beatus es; alterum de futuro, et bene tibi erit: quod aperte indicat, laborem utilem esse non solum in vita, sed post mortem, cum in vita beatitudinis spem conferat, post mortem eiusdem possessionem nobis retribuat. Unde acute d. Augustinus versans locum illum Davidis, *Maab alla spei meae, adnotavit, quod cum aliquando Moabitae essent infestissimi hostes populi Dei, acriterque illum opprimerent, de filiis tamen affirmat David fuisse fultimentum spei suae, non consumptionis meae; sed spei, ait Augustinus: quo non obscure docemur, vexationem et laborem iusti semper futurae consolationis secum afferre, non desperationem, immo labor honoris gloriam et splendorem non modicum iusto accumulatur, iuxta illud (Sap. cap. 10): *Honestavit eum in laboribus. Nemo unquam maiori labore confectus quam Iob, et nemo maiori honore colonestatus quam ille, adeo ut div. Chrysostomus (hom. contr. concub.), stercore quo iacebat, indignos nos omnes replet, quavis revera, inquit, neque stercore eius digni sumus. Atque hoc etiam facit quod eapropter Christus Dominus mortem suam innumeris opprobriis exuberantem vocavit exaltationem (Ioann. c. 12): *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum: quid quaevis est quod cum patrat miraculum illud de quinque panibus multiplicatis, volentibus Iudaeis illum rapere, ut ad regni fastigium exaltarent, id renuens aufugit; nunc vero ascensum in crucem vocat exaltationem, imperium et coronam suam? Sans id nos docere voluit Dominus, honorem et imperium non tam gestis quae in admirationem rapiant, quam assidua laborum tolerantia, et longanimitate patientia comparari. Quod si hoc verum est de humano et temporali honore, certius multo est de aeterno. Unde d. Augustinus (sup. Ps. 2) ut animum nostrum ad perferendos aequo animo labores alliceret, dixit: *Noli tantum attendere quia iturus es, sed quo venturus es: qui enim pondus aeternae gloriae patienti promissionum alta mente perpendit, patienter laboris pon-******

aus sustinet, ut de Issacar futurum praedixit Iacob, dum benedictionem illi impertire dicit (*Gen. 49*): *Vidi regionem quod esset bona, et terra quod optima, et supponit hamerum suum ad portandum; quibus consonant verba illa Davidis (Ps. 118): Inclina cor meum ad facien- das iustificationes tuas in aeternum propter retributionem.*

Porro impleto iam tempore quo angelus monerit Iosephum, ne ab Aegypto recederet, quousque ipse de reditu in Iudaeam iterum illum moneret, *Esto ibi usque dum dicam tibi: superatis iam multis difficultatibus, varios expertus casus, ac pene innumera discrimina rerum, monitus est ab angelo ut matrem, et prolem eius iterum reduceret in Iudaeam; quia tamen huius reditus eam causam assignavit angelus, quod iam persecutor infantis obierat (Matth. 2): defuncti sunt enim qui querebant animam pueri; non possum, infelicem Herodis exitum, ac execrandam eius mortem hoc loco non commemorare. Euseb. (1. 1. hist. Eccl.) scribit: Propter necem quam Christo infans machinatus fuerat, interficiens tot milia Innocentium, magnae clades in domum eius acciderunt; et Herodem prius in regno quietum, et feliciter agentem, tandem magnis et privatis, et publicis calamitatibus oppressus fuit. Tanta vis est irae numinis, ut qui domos quasque perturbaverat, ipse et domi suae obsideretur: et qui quosque privatos luctu, et eladibus opplevit, domi suae et neces patretur, et nihil tutum nancisceretur. Quid non attentavit in filios Aristobulum, et Alexandrum? An non etiam quinto ante mortem die filium suum Antipatrum trucidari iussit? Cic. lib. 5. Quaes. Tuscul. Dionysio Syracusano omnia diffidentiae, et distringarum suspicionum plena fuisse scribit: adeo ut ex alta turri ad populum verba faceret, lecto pensili cubaret, et ipse sibi barbam amputaret. Quid non petius contigit tyranno Herodi? Atheos, et deorum contemptor Dionysius ad extremam inopiam redactus est, ut scribit Aelianus Spartianus. Sed quis vindictam numinis in morte Herodis explicaverit? Iosephus (1. 17. Antiq. c. 9.): Ignis, inquit, lentus inerat, non tantum conflagrationem in superfaciem corporis agentem prodens, quantum intrinsicam crescens operatorem incendium. Aviditas quoque inexplentibus illi semper inerat, nec tamen satietas unquam rabidus incitata faucibus praevalebat implere ingluvium: intestina interius ulceribus tabida putrescebant: doloribus quoque colli saevissimis cruciabatur; humor liquidus ac lucidus erga pedes luridos obrabat, similis quoque illi et circa pubem inerat afflicto, sed et pendenda ipsa putredine corrupta scatebant vermibus, spiritus quoque incredibilis erecta tentigo, quae fuerat satis obscana, diri factoris et anhelitus respiratione creberima. Audiens deum Iudaeus cum gaudio mortem eius expectare, nobilitates ex illis concoctat, et in Hippodromo concludens Salome furori suae praecipit, ut statim atque expressisset, illos occideret, ut hac saltem causa illo mortuo Iudaei plangerent.*

Quod si ad verba evangelistae respiciamus, dicentis (*Matth. 2*): *Defuncti sunt enim qui querebant animam pueri, facile cognoscimus non*

Herodem solum, sed permultos eius consiliarios tunc interisse, qui infanti Christo insidiabantur; ut enim dixit Ecclesiasticus (*Eccl. c. 10*): *Qualis rector est civitatis, et inhabitantes in ea. Verum in eos convertit Dominus impius principis, seu tyranni flagellum. D. Thomas Aquinas (in Matth.) illos fuisse ex primo- rorum hominum numero censet, qui ab Herode moribundo occisi sunt: succedit enim, ut qui cum Dei, religionis, et pietatis praedictio sibi blandiantur, sibi quae impium tyrannum conciliant, Deo vindicæ, et animum tyranni ab illis avertente, divinam ultionem experiantur, et illum hostem, sentiant quem in contemptum Dei sibi amicum constituerunt. Immo facit non semel Deus, ut hostes sui se ipsi inle- rimant, disseminatis inter eos discordiis: sic se invicem Amalechitæ, et Moabitæ peremerunt, dum pugnarent contra Gedeonem. Hic spiritus est vertiginis, quem ubi Dominus, aut regno, aut exercitui immiserit, efficit, ut ipsi se invicem ad instar nubium, et fluctuum collidant, et sic cuncti pereant. Ut enim dixit Apostolus (*ad Gal. 5*): *Si invicem mordetis, videte, ne ad invicem consumamini;* et David (*Ps. 54*): *Divide linguas eorum;* et rursus (*Ps. 67*): *Dissipa gentes quae bella volunt;* et alibi (*Ps. 32*): *Pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti.**

Mortuus igitur impio Herode, et eius consiliariis, rediit sacra illa familia in Iudaeam, ut testatur d. Matthæus (c. 2): *Acceptum puerum, et matrem eius, et venit in terram Israel.* Petrus Galatinus (*lib. 5. de arc. fd. in Thalm. in c. 4*) docet praedictum ab antiquis Iudaeis fuisse, quod Messias in Aegypto revocaretur, quod probat ex eo quod legitur (*Ps. 80*): *Vineam de Aegypto transtulisti, et ex interpretatione Rabbi Mosis Hadarsan, qui scribens (in Gen.) per vitem Messiam interpretatur, et haec vitis Channa, id est, bene praeparata et ordinata est rex, scilicet Messias ex Aegypto transferendus. Ad praedicta quoque, inquit, plurimum facit quod scriptum est in libro Beracoth, id est benedictionum in capite quod incipit Aroë Machom, id est, qui videt locum: sic enim dicitur qui videt per somnium Sorecha, id est, palmitem vitis, ira iappe, id est, videbit, vel contemplantur Messiam, de quo scriptum est (*Ps. 80*): *Vitem de Aegypto transferes.* Ubi notandum est, quod transferes dicit textus, et non transtulisti, ut nostra editio habet, quod etiam lucidius per Rabbem Haccados expositionem ostendit eo in libro, quem Gae Razaia, id est, revelatorum Arcanorum nuncupavit. In septima enim eadem libri petitione legitur, quod cum inter cetera ab eo Antoninus urbis Romae consul quaesisset, quid sibi vellet illud Psalmi, *vitem de Aegypto transferes, vel removebis?* respondit ei, hic est Messias: dixit ei Antoninus; ergo rex Messias in Aegypto nasciturus est? nonne in Bethlehem, ut dictum est apud Michaeam: *Et tu Bethlehem terra Iudae, parvula et in millibus Iudae: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel?* Respondit ei Rabbenu: Fateor regem Messiam in Bethlehem nasciturum, sed dicit, *vitem de Aegypto transferes:* cum enim natus erit Messias, He-*

rodes qui in Ierusalem regnabit, quaeret eum ad necem; revelatione autem divina in Aegypto fugere cogetur, ubi aliquandiu morabitur, et postea in Ierusalem iussu Dei revertetur; idcirco textus dicit, *vitem de Aegypto transferes.*

Hoc etiam Sybilla Erithraea (*lib. 1. oracul.*) praedixit in haec verba:

Cum Lapis Aegypti felix servatus ab oris

Venerit etc. Hoc idem delineatum cerno in eo quod contigit Ioseph. Ille fratrum persecutionem passus ductus est in Aegyptum, et in carcerem missus; rex autem tyrannus tunc regnabat qui nihilo illum faciebat, similis illi qui postea vexavit populum Israel quem captivum habebat operibus duris Iuli, et lateris; postmodum vero Ioseph ab ea tribulatione liberatus, solutus fuit a vinculis carceris, et totius Aegypti prorex constitutus est: *misit rex et solvit eum; princeps populorum, et dimisit eum (Ps. 104), et populus Israel a misera tyranni illius servitute liberatur, et hostes eius mari eos absorbente poenas luerunt, subvertit rotas currum, serbanturque in profundum.* Hoc igitur totum est, quod in Christo infante nunc impletur. Ductus est in Aegyptum regnante impio Herode; sed divino consilio factum est, ut Herodes turpi morte periret, et Christus Dominus de illo gloriose triumphans ex Aegypto proficisceretur, et in patriam patriam ab immani hoste liber rediret. Recte ergo dixit Paulus: *Omnia in figura continebant illis, sed accedente veritate impletur quod per umbram fuerat delineatum.*

Ceterum cum pollicitus fuerim locum illum, *Ex Aegypto vocavi filium meum*, ex professo elucidare, reliquum est ut ad id praestandum calamum admoveam. Verba d. Matthæi (c. 2) sunt ista: *Hoc autem totum factum est, ut impleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum.* Prima quae occurrit difficultas circa hoc testimonium, est, quoniam non reperitur apud Septuag. Fateor ita esse, reperitur tamen in hebraeo, et in versione Hieronymi: *quia puer Israel dilexi eum, et ex Aegypto vocavi filium meum.* Septuaginta vero eo loco non ita habent, sed *ex Aegypto vocavi filios eius.* Euthymius, et quidam Graeci, quia hoc testimonium non reperiebant in Septuag. suspicati sunt illud esse a Iudaeis ablatum invidiose; sed tamen revera Iudaei habent, et Septuag. omiserunt. Quocirca Hieronymus multis in locis hoc argumento convincit, necessariam fuisse translationem Scripturae ex hebraeo, propter illam quae dicitur Septuag. quoniam citantur aliqua testimonia ab Evangelistis et Apostolis, in qua non reperitur in Septuag. licet (*in libro Numer. c. 23*) reperitur: *Deus ex Aegypto vocavit eum, gloria eius sicut unicornis: et (c. 24) similis quoque sententia legitur apud Septuag. Interpr. Eduxit illum de Aegypto, cuiusque fortitudo similis est Rhinocerotis.*

Secunda, et gravior difficultas est, quoniam Matthæus dicens hoc loco, *ut impleretur quod dictum est per prophetam*, significat illud ab

Osea secundum Ileram dictum esse de Christo, et tamen sensus esse videtur: nam revera Oseas ibi loquitur de populo hebraeo, cui Deus improperat beneficium, quod ei praestaverat liberando eum ex Aegypto, et carpit eius ingratitude. Quare Iulianus Apostata adversus Christianos, ut refert d. Hieronymus (*super cap. 11. Osee*), et Hebraei etiam calumniantur hanc citationem Matthæi. Haec difficultas multos doctores male torsit: Iansenius ait aliquando Scripturam dicere aliquid, non quia illud sit praedictum in Scriptura, sed quia quod uno loco alter illa, potest alteri rei pulcherrime applicari, sicut id quod dixit Dominus Pharisaeis: *Hypocritae, bene propheta dicit de vobis Isaias: populus hic labit me honorat,* et tamen Isaias (c. 9) de hypocritis sui temporis dicebat: ita quod dictum est per Oseam de populo Iudaeo, totum istud est per Oseam de populo Iudaeo, totum istud est accommodari potest Christo, ut fecit Matthæus: sicut cum quispiam pater valde diligit filium suum, et potest accommodari illud Virgili:

Omnis in Ascanio chari stat circa parentis.

Et quod deterius est, licentiam praebet amplam ita interpretandi similia loca evangelistarum, quos dicunt, *ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam.* Verum haec doctrina longe a catholicis animi abiectio est. Primo quia pugnat cum communi sententia sanctorum: omnes enim exponentes tam locum Matthæi quam Osee, intelligunt ibi contineri de Christo prophetiam, ut videre licet in Hieronymo utroque loco, et (*epist. 150. ad Algas. q. 2*), et Chrysost. Theoph. Euth. Ansel. Beda, d. Thom. Glossa ordinaria, Emis. et Petro Chrysol. Hanc etiam sententiam indicavit Greg. (*loc. 24*) dicens: *De quo, id est, de Christo, nunc mihi quoque patrem audire videor dicentem: Ecce ex Aegypto vocavi filium meum: ubi Elias Cretensis adnotat ex evangelistae testimonio constare hanc fuisse de Christo prophetiam, et eodem modo exponit Athanas. (tom. 1. lib. de Incarn. verbi Dei non longe a medio). Clarus sanctus Prosper (de prom., et praec. cap. 8), et Anastasius Synaita (*lib. 12. Comment. in Hexam.*). Secundo quia pugnat cum verbis Evangelistae dicentis (*Matth. 1*): *Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam: non enim potuit clarius dicere, Dominum per prophetam loquutum fuisse in illis verbis de hoc mysterio, quod in Christo impletum est. Tertio pugnat cum intentione Evangelistae: et enim ostendat Christum esse, quem prophetiae respiciebant, et in quo omnes impleantur, adducit prophetiam, et ostendit concordiam inter praedictionem, et effectum, et hanc vim habet illud verbum (*Matth. 5*): *Ut adimpleretur: illud enim proprie adimpleri dicitur, quod praedictum erat. Est igitur d. Hieronymi, et aliorum Patrum sententia (super cap. 11. Osee), verba illa secundum Ileram pertinere ad populum hebraeum, sed secundum figuram, et typum dici de Christo, sicut egressio illius populi de Aegypto fuit figura huius egressionis Christi. Et multa similia etiam reperientur in Scriptura. (*Ad Galat. 4*) quod illa narrat de monte Sina, et Ierosolyma, de Sara, et Agar,***

Paulus accommodat ad duo testamenta: unde d. Augustinus dixit: *Non solum illius populi lingua, sed et vita prophetia, et figura erat.* Immo addere possumus, quod omnia caeremonialia habebant duos sensus, unum literalem historicum congruentem illis, alterum mysticum, quia gerebant figuram eorum, quae erant ventura in le. e. evangelica. Iubebat lex, ut non comminuerentur ossa agni paschalis: hoc secundum literam, et historiam de illo agno, qui in paschate immolabatur, dictum est, et servabatur; aliud secundum figuram perlinebat ad Christum; unde Ioannes accommodavit Christo, ut impletur quod dictum est: *Os non comminuetis ex eo.*

Et ut id clarius intelligatur, sciendum est in Scriptura poni quasdam personas, quae continent expressam figuram Christi, ut Salomon, et David. Unde Messias nominatur in Scriptura nomine utriusque, ut (Jerem. 30): *Et servient Domino Deo soli, et servo meo David, qui tamen erat mortuus 400. annis ante: et (Ezech. 34): Mittam ad eos servum meum David, loquitur de Messia. (In Cant. 3) dicitur de Salomone: Egredivit flumem Sion, et videte regem Salomonem.* Sed observandum aliqua dici in Scriptura de istis, quae ipsis solis conveniunt, non Christo, ut (Psal. 21): *Longe a salute verba delictorum meorum, hoc ipsis est David literaliter: quaedam ipsis conveniunt David in illo Psalmo, et Christo, ut Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* Tertio quaedam dicuntur in persona David, sed soli Christo conveniunt, ut illud quod ibidem dicitur: *Foderunt manus meas, et pedes meos, diminuerunt omnia ossa mea.* Considerandum ergo, quod secundum primam considerationem de illis loquitur historia, et litera, iuxta secundam vero mystice de Christo fit sermo. At ea, quae de illis dicuntur tantum secundum quod gerebant figuram Christi, iuxta literalem sensum conveniunt Christo, ut plurima, quae (Psal. 71) dicuntur de Salomone, secundum quod erat figura Christi, nullo modo secundum literalem conveniunt Salomoni, sed Christo, ut illud: *Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum: et adoret eum omnes reges, omnes gentes servient ei, et alia, quae ibi invenies, quae nullatenus Salomoni convenire poterant, sed Christo. Ad propositum ergo: populus Hebraeorum in hoc fuit figura Christi, quoniam metu famis in terra Chanaan, ubi habitabat, fugit in Aegyptum, iacob scilicet, et duodecim patriarchae; deinde admonitus a Deo, ex Aegypto iterum reversus est in terram promissam. Sic Christus metu Herodis fugit in Aegyptum; deinde monitus ab angelo reversus est in Iudaeam, ubi praedicatione sua promissit se dare vitam aeternam, et in hoc adaptatur testimonium Osee ad Mathaei verba. Adstruit hanc intelligentiam solita sua eloquentia d. Chrysost. (homil. 8. in Math.), ubi elucidans praedictum locum: *Ex Aegypto vocavi filium meum, ait: Responderem profecto esse hunc quoque prophetae morem, non multa saepe in altis dicantur quidem, sed in altis implentur, ut illud, quod de Simone, et Levi dicitur: Dividam eos in Iacob, et disper-**

gam eos in Israel, hoc enim non ipsis, sed in eis etiam factum est, qui de illorum stirpe processerunt; et quod in Chanaan Noe dicitur, ut in Gabaonitis posteris eius impletur. De Iacob quoque similiter intelligit accidisse, siquidem benedictio illa, quae dicit: Esto Dominus fratrum tuorum, et adoret te filii patris tui, non in ipso habuit effectum. Quemadmodum enim id post se intelligi, cum e contrario iste timuerit fratrem, atque tremuerit, cumque milites adoraverit? sed utique in eis, qui ex eius stirpe descenderunt. Hoc igitur etiam in praesenti potest questione defendi: quis enim magis, ac proprie Dei filius esse dicitur? Ille ne populus, qui adorabat vitulum, qui idolis initiabatur, quique filios suos daemonis immolabat, an vero Dominus Iesus, qui natura Filius Dei est, et toto Patrem honore veneratur?

Tertia opinio est dictum Osee habere duos sensus literales, unum pertinere ad populum Iudaeorum, alterum ad Christum. Posse autem eiusdem loci duplicem esse sensum literalem, tradit Augustinus (l. 3. de Doctr. Christ. et 10. Confess.), et ratio ipsa convincit: nam ut sensus literalis definitur esse is, qui pro se intentus est ab auctore Scripturae; et hoc modo non est dubium, quin potuerit Scripturae auctor intendere multos sensus per eadem verba, secundum propriam significationem, si proprie sumantur, vel secundum metaphoricam, si metaphoricè usurpentur; sicut in parabolis possunt verba unius secundum propriam significationem admittere multos sensus literales. Exemplum est in illo (Genes. 1): *In principio creavit Deus coelum, et terram: in principio, id est, ante omnia alia.* Vel illa in principio, id est, ab initio temporis. Non ergo potest dici, quod unus est literalis tantum, nam verba utrumque aequè admittunt.

Sed quoniam sententia d. Hieronymi fere ab omnibus amplexatur, etiam si multis potius arideat, quod sit sensus literalis ille, quem citat Evangelista, ut statim videbimus, tamen in gratiam tanti Doctoris, et illorum qui illius sententiam sequuntur, et quia doctrina haec utilis erit ad intelligentiam sacrarum literarum, advertendum est primo, quod duplex est genus sensus mystici. Alterum pro arbitrio cuiusque prudenter confectum, qui sensus si habet veritatem, et pietatem, non est contemnendus; verum talis sensus est inefficax ad probanda dogmata fidei, quoniam, ut Hieronymus (sup. c. 13. Math.), et August. (cont. Vincent. Donat.), et d. Dionys. docent, quod theologia mystica non est argumentativa: quare cum Hieronymus, et qui eum sequuntur, asserunt dictum Osee convenire Christo secundum sensum mysticum, non intelligunt de hoc sensu: quia, ut supra dicebamus, non diceret Math. ut adimpletur Scriptura. Alius tamen sensus mysticus est, qui ab auctore Scripturae intentus fuit, et voluit designari, et significari per illam historiam, et literam, quam narrat Scriptura: verbi gratia: Exaltatio serpentis in deserto fuit figura intentae exaltationis Christi in cruce. Non esse comminenda ossa agni paschalis, fuit figura non comminutum iri ossa Christi in carne. Talis sensus mysticus pertinet ad complementum

Scripturae, quia est intentus ab eius auctore, et est efficax ad argumentandum non ex verbis, sed quia ex intentione auctoris Scripturae habet robur. Et hoc modo plerumque Evangelistae, Apostoli, et ipse Christus argunt secundum hunc sensum mysticum; sicut Paulus (ad Galat. 2), ubi illum sensum appellat allegoricum, et (1. Corinth. 10) appellat illum figurativum, et (ad Hebraeos 10), adumbrativum. Sed dices, quia ratione discerni poterit, quis sensus mysticus sit intentus ab auctore Scripturae? Ad hoc cognoscendum tres adhibeo regulas. Prima est, quando in aliquo loco Scripturae multa dicuntur de aliqua persona, ut (Ps. 2. et 21) de David, et (Psal. 44. et 71) de Salomone, quae ita conveniunt illi secundum historiam, et pulchre etiam conveniunt Messiae secundum figuram, si in eo loco praeter illa, quae sunt communia illi personae, de qua loquitur historia, traduntur aliqua, quae non conveniunt illi, sed Messiae, est argumentum illa communia vere convenire Christo secundum sensum mysticum intentum a Spiritu sancto, sicut (Ps. 1) dicitur de David: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hoc certum est non convenire Christo, sed Christo, et (Psal. 21): *Foderunt manus meas, et pedes meos, diminuerunt omnia ossa mea, Christo tantum hoc convenit: similiter (Psal. 71): Adorabunt eum omnes Reges terrae, hoc non convenit Salomoni, et alia, quae ibi sunt plurima, tunc est signum manifestum, quod in istis Psalmis auctor Scripturae loquitur de Christo in persona Davidis, et Salomonis. Secunda regula, si sit aliquis locus Scripturae, cuius sensus literalis est admodum humilis, et non valde dignus; sensus autem mysticus maxime convenit gravitati Scripturae, et sapientiae Dei, ille fuit intentus ab auctore, ut (1. Cor. 9) probare nititur Paulus praedicatorum evangelii alendum esse a christianis, qui dignus est operarius mercede sua, et probat ex illa sententia (Deut. 25): *Non alligabis os bovi trituranti, et subdit: Nunquid Deo cura est de bobus? significat in hoc d. Paulus, quod non solum sensus literalis illius loci est intentus a Spiritu sancto, sed etiam mysticus, immo et potissimum iste. Tertia regula est, quando sensus iste est receptus ab Ecclesia, vel sacris scriptoribus, vel a communis doctrina Patrum, ille est habendus intentus a Spiritu sancto. Unde Apostoli, et Evangelistae saepe argumentantur secundum sensum mysticum; et argumentantur tamen efficaciter, quia eo tempore in Ecclesia Dei iam erat receptus ille sensus mysticus, sicut quod David, et Salomon erant Patres Messiae, et modo inter catholicos apud Patres communiter receptum est illud Isaiae (cap. 14): *Quomodo cecidisti de coelo lucifer, qui mane oriebaris? secundum historicum dictum esse de rege Babylonis, sed secundum sensum mysticum de casu luciferi. Osee similiter (cap. 11) sic incipit: Sicut mater transit, sic pertransiit rex Israel, quia puer Israel, et dilexit eum, et ex Aegypto vocavi filium meum.* Pro cuius loci intelligentia revocare oportet in memoriam, quod Christus venit in hunc mundum, ut sua praesentia, atque doctrina doceret populum israeliticum,**

atque illi innumera beneficia conferret, secundum illud Zachariae: *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subingulis, quae verba (Math. 21), et (Joan. 11) explicantur de introitu Christi in Ierusalem, et de palmarum. Insuper (Math. 15) dixit Dominus mulieri Chanaanicae: *Non sum missus nisi ad oves, quae peregrinant domus Israel, et (Rom. 15) etiam dicitur: Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcissionis, id est Iudaeorum, ad confirmandas promissiones Patrum.* Insuper considerandum est Christum saepissime dici in sacra Scriptura regem Israel (Zach. 9): *Ecce rex tuus tibi venit, et (Osee 3): Post haec filii Israel quaerent David regem suum, et (Math. 21), et (Joan. 1): Tu es Filius Dei, et tu es rex Israel.* His constitutis sensus erit iste: sicut sol mane citissime transit, cum illuminat; ita etiam Messias rex Israel paucis diebus in mundo conversabitur, iuxta illud (Act. 3): *Ego ego hodie, et cras sanitates perficere, et tertia die consumor.* Attamen quoniam populus israeliticus a me est dilectus tanquam filius tenellus, et delicatus, secundum illud (Jerem. 31): *Filius mihi honorabilis est Ephraim, et puer delicatus: ego mihi filium meum in mundum, ut illuminaret Israel, secundum quod praedixerat (Isa. 62): Propter Sion non tacebo, donec egredietur ut splendor iustus eius, et Salvator eius, et lampas accendatur, et haec de causa nolo, ut filius meus diu moretur extra populum Israel: quare subdita occasione fugae eius in Aegypto, ex Aegypto vocavi filium meum; hoc est, traduci cito illum ab illa provincia in terram Israel. Ista interpretatio suadet etiam ex contextu evangelico: nam dicitur, et erat ibi, scilicet in Aegypto, usque ad obitum Herodis: ac si diceret Evangelista: Transmigrationis illius solummodo facta est, ut evitaret Herodis saevitia; et subdit (Math. 1): *Ut adimpleretur quod dictum est: Ex Aegypto vocavi filium meum.* Fateor tamen, quod si, ut multi volunt, propria ratio sensus literalis requirit, ut non solum oratio nude sumpta illum sensum in proprietate sermonis referre possit, sed etiam in eo sensu possit cum antecedentibus, et consequentibus texti, et unum integrum historicum, seu literalem sensum conficere; non potest, in rigore loquendi, dici Evangelistam accepisse verba illa in sensu literalis, sed in mystico tantum, intento tamen a Spiritu sancto.**

Ad extremum illud dicere non parcam, quare sanctus Ioseph, regnante Archelao, recusaverit in Iudaeam ire (Math. 2): *Audiens autem, quod Archelaeus regnaret in Iudaea pro Herode patre suo, timuit illo ire.* Respondet Theophylactus (super cap. 2. Matt.): *timuisse illo ire propter Archelaeum, ut qui non esset melior patre suo: scribit enim Iosephus (lib. 17. ant. c. 10): Illum in principatus sui eazordio modeste se habuisse, et populo blanditum esse, unde et ipsis sibi favorem conciliaverat: tandem vero ferociter redditus, eum de morte Mathiae, et aliorum cum eo ab Herode interemptorum maxime quaestio feret, potentibus Iudaeorum iuventus mortis illorum vindictam, armatarum cohortem instituit, a quibus in die festo asynorum caesi sunt Iudaeorum circiter tria milia, alius*

fugientibus: (capite autem 11) ait, quod, hinc factor populi ab illo averti coepit, et avertentibus illum Iudaeis, etiam et cognatis, apud Casarem, eiusque insolentiam deserentibus, sudicio Senatus anno sui regni nono apud Viennam Galliarum urbem exilio relegatus vitam finivit. Hinc fit, ut rumore crudelitatis Archelai percitus Ioseph, timuerit in Iudaeam venire, hoc est, in loca Ierosolymae, aut Bethlehem viciniora.

Quod si rursus inquiras, cur etiam s. Ioseph non timuerit Archelaeum proficiscens in Galilaeam, secessit in partes Galilaeae? Respondet divus Thomas Aquinas, Ierosolymae fuisse regiam sedem, ibi vero commoratum esse Archelaeum; juniorem autem ipso Herodem Antipam tunc Galilaeam rexisse, qui et sese in Iudaeorum gratiam insinaret, fratremque Archelaeum regno expelleret, mitiorem se et humaniorem suis Galilaeis praeberet, unde fieret, ut tutiorem se Iosephus in Galilaea putaret. Quod si quis deinde obiciat, singulis annis deductam fuisse peruram in Ierusalem, nec et tamen damnum, et periculum aliquid ab Archelao accessisset? Respondet Augustinus, quod simul cum puerorum turba laterit, et paucis hic diebus moratus sit. Denique, quod, ut scribit Iosephus (lib. 17. antiquit. cap. 12. et 13) Archelans brevi post seditionem illam, quam diximus, Romam venerit, res antem Iudaeorum per Romanos regerent; unde non erit Archelai timenda tyrannus, ut occideret Christum; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA X.

Varia commemorantur prodigia a Christo Domino patrata a die fugae in Aegyptum usque reditum in Iudaeam.

Varia commemorantur prodigia, ac portentosa miracula, quae Christus Dominus patravit a die, qua ex patria sua fugere coepit usque ad ingressum in Aegyptum, et habitacionem in ea regione; exordior ab eo quod antiqua Armenorum narrat historia, id referente Gratiano (in vita Sancti Ioseph), nec non Castro (in vita Deiparae Mar.). Tradunt, quod dum in paradisi necessariis Iosephus moraretur, Deiparam in specu laterit inter meridiem, et austrum ad iactum lapidum duorum a Bethlehem semota; dumque Deo infanti mammillam porrigeret, lactis guttus in durum spelunca lapidem effusus, ita emollitum, ac candidum effecit, ut instar candidissimae terrae in pulverem tenuissimum conversus sit, ex qua lola panes parvi conficiuntur, quibus ad morborum diversorum sanitatem, praesertim lactis foecinarum contractionis, omnes utantur, et lae Dominas nostrae ab eis nominatur; immo etiam saxa illa in pulverem reducta, et in aquam missa pectibus propinquant, ne lac eis deficiat. Quae omnia non solum praedicti auctores, sed et traditio antiqua a maioribus accepta, et illius regionis incolae, nec non et christiani iam Latini, quam Graeci contestantur, et multi, quibus id videre licuit, scriptis mandarunt.

Episcopus Abulensis (super cap. sec. Matth.) aliud portentum non minori admiratione dignum commemorat: ait enim, quod cum Virgo primo venisset Hermopolim, in eum locum, in quo prius ipsa commorata fuit, quam in aliquo alio Aegypti, et nullum invenit domum,

Petrus de Natalibus (in histor. boni latronis) refert, repente furem quemdam ex occulto loco prodisse, ut sacros illos peregrinos Mariam, et Iosephum depraderetur; qui tamen cumprimum intuitus est infantem Iesum, et Matrem illum gestantem, ex rapacissima fera mutatus est in mansuetissimum agnum, adeo ut nihil ab eis extorqueret, sed ad propriam suam speluncam, quae eius domicilium erat, illos benevole secum adducens ex his, quae possidebat, multa liberaliter erogaret. Contigit autem, quod uxor illius latronis lavans filium suum lepra laborantem eadem aqua, qua Virgo infantiles Iesu pannos laverat, continuo a lepra liber evasit, testaturque illum latronem eundem fuisse, qui a dextris Christi crucifixus in monte Galvariae dixit (Luc. 2): *Memento mei Domine, et audire merui, hodie mecum eris in paradiso.*

Sozomenus (lib. 5. Hist. Eccl. cap. 29) haec scribit: *Memorat praeterea arborem esse, quae Persis dicitur Hermopoli, quod est oppidum Thebaidis, cuius fructus, aut folium, aut particula aliqua corticis aegrotis admota morbos a compluribus depulerit. Nam traditum est, Ioseph dum propter Herodem assumptis secum Christo, et Maria sancta Deipara fugisset, venisse Hermopolim, atque simul ut portae appropinquavit, istam arborem licet plane maxinam, adventu Christi turbatam esse, atque ad solum usque se inflexisse, et Christum adorasse. Atque quidem de hac arbore, sicut a multis audiri, a me commemorata sunt.*

Episcopus Abulensis (sup. cap. secund. Matth.) commemorat, quod praeter illam arborem, quae adventum in Aegyptum Christum cum Maria, et Ioseph venerata fuit, alia etiam arbor palmae antiquissima fuisse perhibetur, quae postquam se sanctissimae Virgini in Aegyptum intranti inclinavit, ut dactilis inde colligeret, hierum se erexit; quodque hoc idololatrae videntes, arborem statim succiderunt; sed nocte sequenti sic arbor illa iterum consolidata est, et erecta, sicut antea erat, existentibus tamen incisionibus illis in ipsa, quae hodie etiam in illa apparent. Romae haec elaboranti, venit ad manus liber quidam de vita Christi Domini absque titulo auctoris, perantiquus tamen, ut characterum vetustas indicabat, in quo reperi quod cum beata Virgo, et Ioseph per antra deserti Aegypti iter faciebant, varia animalia hinc inde prodibant, ut leones, leopardi, ursi, dromedones, et similia, quae Christo Domino se humiliabant, eumque qua ratione poterant venerabantur.

Legi etiam ibidem, magnam volucrum cateram suavi melodia cauentem Christum Dominum hac miraculosa voce salutasse: *Salve rex.* Subiungit etiam, quod cum Virgo in brachiis suis Christum Dominum binaunas, ingredi vellet in templum quoddam Gentilium, ultero portae se aperuerunt.

Episcopus Abulensis (super cap. sec. Matth.) aliud portentum non minori admiratione dignum commemorat: ait enim, quod cum Virgo primo venisset Hermopolim, in eum locum, in quo prius ipsa commorata fuit, quam in aliquo alio Aegypti, et nullum invenit domum,

in quam ipsa cum puero Iesu ingredi posset ad requiescendum, tandem ingressa est quoddam templum, in quo erant Idola 365 iuxta numerum dierum totius anni, quibus singulis diebus divinus, imo potius insanus, et vanus exhibebatur cultus; quodque ad Christi ingressum, cum sanctissima matre sua omnia illa Idola subito in terram corruerunt: et adimpletum est illud Isiae (cap. 19): *Ascendet Dominus super nubem levem, et ingredietur Aegyptum, et movebuntur omnia simulacra Aegypti.* Quam Isiae auctoritatem Abulensis eventui illi accommodans dicit, quod omnia simulacra Aegypti mota sunt, inquantum illa 365 corruerunt, quae forte erant omnia Idola Aegypti, ita ut non essent plura nomine differentia, licet essent plura alia ab illis numero diversa. Et addit quod hoc factum nuntiatum esset Aphrodisio principi sacerdotum; venit in templum cum omni suo exercitu; et postquam accedens puerum Iesum adoravit, conversus ad exercitum dixit: *Hic nisi esset Deus Deorum nostrorum, coram eo non se prosternerent. Nos ergo quod Deos nostros facere videmus, nisi caute fecerimus, omnes sicut Pharaon periculum incurremus.* Brochardus Theonicus (in descriptione Ter. sanc.) haec cuius etiam supra meminimus, nobis memoriae prodidit: *Inter Heliopolim, et Babyloniam medio ferme loco est balsami hortus: et paucis interiectis: Rigatur, inquit, hortus ille ex parvulo fonte, in quo fama est b. Virginem Iesum parvulum pluries lavisse, panniculosque eiusdem mundasse, cum esset in Aegypto propter metum Herodis. Est etiam ibidem lapis, super quem dicitur eosdem exsiccasse. Haec omnia venerantur a Christianis, et Saracenis. Verum, quia fons Iesu parvulus est, non sufficiens irrigationi totius horti, Saraceni alium profundum foderunt puteum, ex quo quatuor boves per rotam aquam extrahunt, sperantes ex vicinitate fontis Iesu aquam alterius fontis fore virtuosam. At se deceptos animadvertentes construxerunt canalum, per quem transmittunt aquam illam in fontem Iesu, ut sic ex eis mixtis foecundaretur hortus, nec haec eos fecellit opinio, nunc enim sufficienter foecundatur ex aquis sic mixtis. His, quae de illo horto, et fontibus tradit Brochardus, haec etiam addit Abulensis (loc. suprae.) videlicet, quod a meridie diei sabbati usque ad ortum solis dies lunae, boves, qui trahunt aquam de puteo, ita cessant a labore, ut nullo modo velint intra illud tempus aquam trahere; et hoc etiam si vel excoercentur, vel occidantur: sed in die lunae orto sole, iterum incipiunt ipsam aquam extrahere usque ad diem sabbati ad meridiem. Haec ex probatis auctoribus solummodo commemorare libuit, quia alia, quae partim reperiuntur in libro de infantia Salvatoris, partim in Alcorano Mahometi, ut quod Christus in infantia sua super solis radios equitans ascenderet, et id genus alia ridicula, tanquam futilia, et vanissima omnino refutanda sunt: tum quia Gelasius Papa damnavit praedictum libellum de infantia Salvatoris, ut legitur cap. sancta Romana Ecclesia, dist. 15. tum quia non decet christianos viros a spurrisimo Mahumelo, et mendacissimo auctore Christi miracula petere.*

CARTHAGENA DE B. M. V. — Vol. II.

Ceterum quia nonnulli non solum haec, sed et quae nos in medium protulimus, patrata a Christo miracula, falsa esse conedunt, compellimur ab eorum impugnatione nostram sententiam vindicare. Hi videntur esse sanctus Chrysostomus (homil. in Ioan.), Amphrosius (serm. 19), Epiphanius (haeres. 51), Theophylactus (Ioan. 2), Euthymius (ibi. Ioan. 2), et angelicus Doctor, qui ad id moventur, tum quia postquam divus Ioannes retulit miraculum conversionis aquae in vinum factum in Cana Galilaeae, continuo subiunxit haec verba (Ioan. c. 2): *Hoc fecit initium signorum Iesu in Cana Galilaeae.* Si ergo hoc fuit initium, manifestum est nullum aliud antea fecisse, alioquin illud fuisse initium signorum, non istud: tum quia, ut praecitato loco adnotavit sanctus Thomas, si Christus Dominus in infantia sua miracula patrasset, incarnationis mysterium phantasma esse putaretur, et delusio: tum quia quod nonnulli interpretantur, conversionem illam aquae in vinum non fuisse primum simpliciter, et absolute omnium signorum, quae unquam fecerit Christus, sed primum dumtaxat eorum, quae patravit in Cana Galilaeae, infirmum fundamentum est, quorsum enim dixisset Ioannes primum hoc signum eorum, quae eo fecisset loco, praesertim quod nullum postea in Cana Galilaeae signum a Christo factum legamus? et si legerimus, quid attinebat dicere primus hoc eorum fuisse, quae ibi fecisset? eadem enim ratione de aliis miraculis, quae alibi Christus fecit, dicere debuisset, hoc in Capharnaum, hoc in Ierusalem, primum signum fecit, quod nusquam Ioannem vidimus dicere.

Verum ego non video qua ratione negari possit Christum Dominum ante conversionem aquae in vinum factam in Cana Galilaeae, quaedam alia patrasse secreta miracula: nam in primis dum erat in ventre Virginis, stupendum illud prodigium patravit, dum per vocem Matris, tanquam per instrumentum, Ioannem in utero Elisabeth latitantem sanctificavit, et gestiro fecit (Luc. 1): *Ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavi in gaudio infans in utero meo.* Deinde in orto suo magnum illud fecit portentum, dum egrediens ex visceribus maternis involutum reliquit claustrum virginum, penetrans se, ut loquuntur theologi, cum partibus corporis proximus Virginis claustrum. Rursus Christus Dominus velut magnes innata sua virtute ad se pertrahens ferrum, ferrea Magorum regum pectora ad bethlehemicum porticum ab oriente traxit, ut tradit divus Matthaeus; Aegyptum ingrediens Idola, quae in Fano falsorum Deorum oracula reddebant, non solum silere, sed corruere, et conteri compulsi, ut gravissimus Patres communi consensu docent. Insigne miraculum fuit, quod duodennis puer cum Doctoribus in templo disputaret, eosque obstupescere faceret, altissima secreta eius pandens, quae multo studio, et industria, longoque temporis decursu ipsi comparare non poterant. In baptismo deinde Iordanis singulare miraculum Christi fuit, quod Spiritus sanctus in specie columbae super caput eius descenderet, et vox de coelo delapsa intonaret (Ioan. 9): *Hic*

est Filius meus dilectus. Manifestum etiam miraculum fuit, absque illo cibo, vel potu quadraginta diebus, et totidem noctibus leianare. Unde recte Maldonatus (in cap. 2. Ioan.) ad quaestionem illam, quam movet Theodoretus in Catena Graeca, unde in mentem Mariae venerit petere a Filio, ut miraculum conversionis a qua in vinum faceret? apte respondet, Virginem aliqua prius privatum ab eo facta miracula vidisse, quibus suam aliquando sublevasset inopiam, et ideo in simili casu miraculum ab eo postulasse. In hanc eandem etiam sententiam ducor, quod germanum sensum illorum verborum (Ioan. 2): *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae*, hunc esse putaverim, quod illud fuit primum signum non omnium omnino quae fecit Christus, nec eorum dumtaxat, quae edidit post baptismum, et post admissos discipulos, sed illorum, quae fecit, ut gloriam suam palam manifestaret, et sequere iterum Christum esse ostenderet. Adstruit aperte hanc intelligentiam, quod statim subiunxit Evangelista (Ioan. 2): *Et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius*: ecce loquitur de miraculis ad ostentationem suae potentiae publice factis, in quo accommodate satis ad id, de quo agebat, loquitur esse Ioannes: agebat enim de Christi manifestatione, quomodo se paulatim discipulis collegere, et miraculis se ostentare coepisset. Unde quemadmodum de illo miraculo dixit: *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae*, ita de prima post baptismum concione dicere potuisset: Haec fuit prima concio, quam habuit Iesus, cum tamen credibile non sit nullam aliam privatam habituisse. Ex quo omnia fundamenta adversae partis facile corrunt, cum illud tantum convinceant, non publice, et ut se quis esset, omnibus ostenderet, miraculum aliquod fecisse ante nuptias in Cana Galilaeae; privatim autem nullum prorsus partrasse, praesertim in itinere ad Aegyptum, et dum ibidem habitavit, minime probant. Nec id inficiantur sancti Patres a me relati, quos germanum istum huius loci sensum minime latuisse credibile est: unde cum negant alia prius partrasse miracula, loquuntur de miraculis publicis, et sensibilibus, quae proprie signa dicuntur, de quibus loquitur divus Ioannes, et in quibus locum habet ratio adducta a divo Thoma, non vero de miraculis privatis, et intelligibilibus, quae non fiebant ante faciem turbarum, et ut in illum crederent, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XI.

Ex evangelica Christi fugae historia quatuor praecipue documenta ad mores informandos deducimus, peccati occasionem fugere, Dei gratiam conservare, iuvenibus prava exempla non dare, ad impiorum consortio se abstinere.

Inter haec documenta illud primum locum teneat, ea velocitate, et diligentia nos peccati occasiones post purificatam conscientiam fugere debere, qua Christus Dominus infestissimum hostem Herodem, post purificationem in templo aufugit.

Est enim quoddam victoriae genus gloriosum absque congressu hostem devincere. Potuisset quidem Christus Dominus cum Herode pugnans faciem illum superare; maluit tamen illum deludens sola fuga vincere, et absque bello in pace de illo triumphare, hac enim ratione gloriosius de Herode palmam reportavit. Hoc salutare documentum, tanquam valde utile, non semel Deus edocuit, nam cum olim prohibuisset Hebraeis fermentato pane vesci per omnes septem dies Paschae, subiunxit (Exo. 12): *In primo die non erit fermentum in domibus vestris*. Poterat certe ab illo die fermentum esse in domibus illorum, et reservari ad tempus post transactum Pascha: quid ergo refert, quod a primo die Paschatis non reperiret fermentum in domibus eorum, cum etiamsi id reperiretur, observare potuissent divinum praeceptum de non comedendo pane fermentato per septem dies Paschae? Divina sapientia ad observantiam illius praecepti utile valde indicavit, fermentum a primo die non adesse, ut omnem eis de medio tolleret occasionem divinum praeceptum transgrediendi: praesentia enim fermenti, et eius intuitus, facile eorum appetitum excitare, et allicere posset ad panes fermentatos conficiendum. Et ideo ad hoc periculum praecavendum consulto insisit, ut a primo die abiicerent a se omne fermentum. Simile etiam huic praecepto fuit, quod antea Nazarenis dederat eodem Exodi libro: nam cum praecipisset illis, ne vinum biberent, iussit ne uvae immaturas, vel maturas, nec passas, nec grana illarum comederent, ut ab his se abstinentes longius absentes a vini potu: uvae enim comeditis facile stimulari poterat appetitus ad experiendum saporis liquoris, qui in modum potus ex uvis exprimitur. Ad vitandum ergo hoc periculum, et hanc transmigrationis occasionem propulsandam, non contentus Deus prohibuisse vinum Nazarenis, interdixit etiam utrumque eum, quia facile illo via poterat esse ad vini potum. Narrat Plutarchus (in Caton.) rem huic argumento valde contentaneam: ait enim, quod cum Achaëis extantibus a propria patria, Senatus Romanus eis peperisset, et ab exilio liberasset, Polybium, vir clarissimum, ardentissime pro eis interessit, ut publica, quibus fungebantur officia, eis restituerentur. Cuius intercessionis conscius factus Cato, quid sibi de illa videretur? Respon-

dit, Polybium idipsum fecisse, quod Ulyssi accidit: hic enim a spelunca Cyclopi summo labore egressus, speluncam repetere voluit, ut pileum, et cingulum, quod ibi per oblivionem reliquerat, reciperet. Quibus verbis significare voluit sapientissimus Cato, quod cum officia illa perperam per Achaeos administrata, eorum exilii causa exiterant, eadem sibi restituta, facile in exilium eos iterum relegaturo forent. Equidem si Ulysses non reliquisset pileum, et cingulum in spelunca, minime ad eam revertisset; quia tamen reliquit, rediit, ut pignora ibi relicta recuperaret. Absit a nobis in spelunca peccati pignora relinquere, alioquin iterum peccati vinculis ligabimur. Cum olim angelus divum Petrum et carcere eduxit, dixit ei: *Præcinge te, et calceae te caligis tuas*. Quod si ab angelo sciscileris, ut quid tam sollicitus esset, ne Petrus quidquam suorum vestimentorum in carcere relinqueret? respondere certe posset, ne Petro, quod Ulyssi, accideret, qui ut pileum, et cingulum recuperaret, iterum in spelunca Cyclopi redire voluit. Qui ergo a vinculis peccati, divina gratia favente, liberi facti estis, oportet longe fieri ab omnibus occasionibus, quae in ea vincula vos coniecerunt, iuxta illud Sapientis consilium, qui de lasciva fugienda foemina agens dixit (Prov. 5): *Ne appropinques foribus domus eius; quasi dicat, oportet ne iterum reincidentis, non solum ab aspectu eius, a confabulatione, a muneribus, ab epistola te abstinere, sed a foribus domus illius longe fieri: quia, ut recte dicit divus Thomas (de regimin. principum): Opportunitas peccandi via est ad libidinem*. Unde Iob, licet aliquot filii eius sancti, et iusti essent, lauto tamen convivio vacantes, timuit ne in aliquod prolaberentur peccatum: *Ne forte peccaverint filii mei*, sciebat enim o-pipara convivio non semel peccandi occasionem praebuisse: quod originale hebraeorum satis indicat, nam ubi nostra vulgata verlit: *Ne forte peccaverint*, in hebraeo legitur, *si forte devierint*; occasio enim peccandi viam rectam deserere, et obliquam amplecti quodammodo cogit, et maxime infirmum, et imbecillum. Quapropter David hanc virtutis suae imbecillitatem non ignorans, dixit (Ps. 118): *Viam iniquitatis amove a me: quasi diceret, non solum desidero, ut auferas a me peccatum, sed ut illo semel ablato etiam amoveas a me occasionem peccandi, quae via solet esse ad ipsum peccatum*. Huc etiam facit, quod quando angeli abduxerunt Loth a consortio Sodomorum, dixerunt ei: *Nec stes in omni circa regione; quasi dicerent, non solum volumus te extra Sodomam esse, sed ab omni regione ei propinqua longe fieri*. Non sufficit fratres per confessionem a peccato egredi, nisi ab omni regione circa peccatum longe arceamini, hoc est, ab occasionibus iterum reincidenti vos submoveatis, et illis omnibus aditum pracludatis. Fugit Christus ab Herode, longe tamen se fecit ab omni circa regione Iudaeae, et in Aegypti distantissimam plagam fugit, ut doceret nos occasiones peccati, quae instar saevissimi Herodis nos persequuntur, longissime fugere, praecipue tamen illas, quia pe-

riculosiores, quae libidinis flammam excitant: saepe enim libido dormiret, nisi occasio illam excitaret, et luxuriae scintillae non erumperent, nisi peccandi opportunitas animam pulsaret. Sicut enim intra venas silicis scintillae ignis latent, quae tamen, nisi ferro percuterentur, foras illae non prodirent; ita intra venas concupiscentiae nostrae libidinis latent scintillae, quae aliquot nisi visis, et auditis, illa tangerentur, foras non erumperent. Quare foeminarum consortio apprime fugiendum est, ut enim dixit Origenes: *Mulier caput est peccati, et arma diaboli*, ac si diceret, foemina lasciva arcus est diaboli, quo acutas sagittas in cor aspicientis illum mittit. Unde sagitta insipientis esset, qui arcus pulchritudinem, intenta oculorum acie, aspiceret, cuius sagittam contra se mittentem attenderet; ita vecors, et insanæ mentis est, qui in foeminarum pulchram, quae velut daemonis arcus est, sagittis suis acriter laeratur, lumini acie intendit. Et quidem si in deserto, ubi panes non erant, volebat diabolus illos et lapidibus educere: *Dic, ut lapides isti panes fiant*: et in deserto, ubi urbes, et populi non sunt, ait Evangelista, *et tibi ostendit ei omnia regna mundi*: et tibi foeminae longe absunt, de libidine per cogitationem tentat; et tibi pecunia desunt, de cupiditate; et tibi dignitates non sunt, de ambitione iacula mittit: quid quaeso facit, cum quibus occasiones peccati non solum non fugit, sed se illis immisceat? Recte divus Hieronymus de cohabitatione Clericorum dixit: *Nunquam intra unam cavernam habitans cum lupu tutus est agnus*: et adversus illos, qui suspensioa contubernia non fugiunt, producti illud Salomonis (Prov. 6): *Nunquid potest quis abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantae eius? Accedit sanctus Nilus, qui (oratione secunda adversus vitia) inquit: *Mulieris aspectus sicut veneno illita, quae ferit animum, et venenum immittit; et quo diutius manet, eo magis vitium computrescit. Qui vitare cupit huiusmodi vulnera, is a publicis spectaculis abstinere, nec in celebratibus versari: salius est enim, ut domi maneat: nam cum putaveris te celebritates venerari, in manus inimicorum incidis*. Idem ibidem ait: *Ad ignem potius ardentem, quam ad mulierem invocem iuvenis appropinqua: nam si ad ignem accesseris, dolore affectus resilles; et si foeminae verbis incensus resilles, et libidinis semina mulierum familiaritate excitantur*. Ad libidinem ergo superandam illud supersper probatissimum remedium, summa celeritate fugere: fuga enim huiusmodi non dedecor, sed fortitudinis indicium est, et ideo non ignominiam, sed gloriam parit, divo Ambrosio dicente (lib. de fuga saeculi): *Gloriosa haec fuga est fugere a facie peccati: sic fugit Iacob, matre suadente, sic fugit Moyses a facie Pharaonis, sic fugit David a facie Saulis, et Abalonis*.*

Illud tandem in hoc genere argumenti dicere non parcam adversus eos, qui aliquot imbecillitatem suam milles experti non ve-

rentur peccati occasiones devitare, sed potius illas quaeritare, quibus lapsuros, aut manifestio labendi periculo se exposituros non dubitant. O insaniam sanguineis lacrymis deplorandam! Certe si equus, vel aliud animal flumen aliquod transiens in coeno inhaesit, si iterum illac transeundum sit, profinus consistit, et prius se fustibus dilacerari patitur, quam ulterius progrediatur; homo autem bestiis ipsis stupidiore, secundo, tertio, et quarto, et sapientis se in ea loca immittit, in quibus non semel se peccasse novit. Pudeat vos homines a bestiis hac in re superari; pudeat prophetam Nahum ad vos dirigere ignominiosa illa verba: *Bestiae sunt meliores, qui possunt fugere, et prodesse sibi; pudeat tandem manus dedisse diabolo, et miserae eius servituti subingari vos velle. Audite quaeso divum Augustinum hanc vestram infelicem sortem in hunc modum plangentem: Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate; velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me: quippe ea voluntate perversa facta est libido; et dum servitur libidini, facta est consuetudo; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.*

Secundum documentum, quod ex hac historia nobis deducere licet, valde necessarium est, nimirum, ut post recentem in Deum conversionem, sollicitus acris acquirat illius gratiam ab insidiis diaboli illaesam conservare: hic enim est satanae conatus, Christum infantem in pectore christiano intrinseme, nam ut ex Paulo (*ad Galatas 4*) colligitur, nascitur in nobis Christus infans: *Filioli, inquit, mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Totis viribus ideo nitendum est, ut ad aetalem virilem, et robustam perveniat. Unde Augustinus (*serm. 20. de temp.*): *Credidisti, inquit, natus est Christus in corde tuo; sed nunquid Christus natus sic remansit? crevit ad iuventutem pervenit, sed in senectutem non declinavit. Crescat, ergo, et fides tua robar inveniat, vetustatem nesciat; haec ille. Verum daemon crescere non vult in pectore Christum, teneram atque recentem gratiam cupit extinguere. Lege seminantis parabolam, videbis daemoneum non pati in spicis prostrare semen, profinus currit ad vorandum; volucres, inquit Dominus (*Matth. 13*) *coeli comederunt illud.* Typus satanae Pharaonis infans Hebraeorum flumine iubet submergi: timet enim ne postquam adoleverit, bellum illi inferat. Origenes in hunc locum ait: *Quid princeps huius mundi praecipit suis, ut infantes nostros rapiant, et in flumen proiciant, primae statim natiuitati nostrorum insidiantes continuo, ut cum ubera Ecclesiae primae contigerint, irrumpant, diripiunt, persequantur, undas huius saeculi absorbent: ergo cum in te Christus natus fuerit, Pharaonem fuge, Herodem fuge, et voluptatis mella longe a te abice; nam ut ait divus Ephrem (*lib. cit.*): Si diligenter attenderes, ubique inimici laqueos, tanquam mellis dulcedine circumlinitos, voluptatis illecebros eccentros deprehendes, ut si quis illius gustare dulcedinem velit, laqueo capiatur.**

Tertium documentum est, ne sitis sicut a-

mici impii Herodis, qui pueros velut Pharaonem Israelitas persequuntur, et occidunt: persequi enim est male amare, et ad vitia exemplo, verbisque impellere. Paulus (*ad Galat. 4*) ait Ismaelem persequutum esse puerum Isaac: *Is, inquit, qui secundum carnem natus fuerat, persequatur eum, qui secundum spiritum.* Ismaeles illi sunt, qui pueros innocentes Isaco similes, exemplo, et colloquii pravis persequuntur, ac depravant. Eiecit domo Ismaelem Sara, quod Isaacum persequeretur: eiciendi Ismaeles, hoc est suasores improbi, qui pueros virtutum contagione inquinant. Audi quid haec de re sentiat homo Ethnicus: *Libros nostros, ait Plutarchus (lib. de educandis liberis), a flagitiosorum hominum consortio segregare debuit; eorum enim malignitatem reportant.* Item, sicut infantium membra simul ac nata sunt, formam componere debent, ut recta, minimeque obliqua fiant, ita puerorum mores principio apte conueniente fingere convenit: illa namque novella aetas ad fingendum facilis, et tenera est, et ipsorum animi, dum molles adhuc extant, disciplina melius instruntur, difficilium autem quae dura sunt molliuntur. Quemadmodum enim sigilla mollibus imprimuntur ceris, ita et doctrinae, dum puerilis adhuc animus est, insculpuntur: quale sigillum est, tale illud est, quod mollis cera recipit. Amici sigilla quaedam sunt, angeli imaginem in pueris insculpunt.

Plato, ut eodem loco docet idem auctor, nutrices admonuit, ne frivolas, ac turpes per se fabulas darent, ne illorum animos ab initio corruptis imbuerent moribus. Ipse vero Plutarchus pueris qui alumnis ministrantur convititurque sunt, bonis moribus praedictis requirit; quoniam iuxta proverbium, *si claudus vicinus habitaveris, et ipse claudus ambulare disceres.* Unde praecclare Iuvenalis (*satyra 14*) maxime pueri debent reverentiam dixit, sed carmina ipsa recitemus,

Nil dicti factum, visuque haec limina tangunt
Intra quae puer est, procul hinc, procul inde
(paellae.

Lenonium, et cantus pernoctantis Parasii
Maxima debetur puero reverentia; si quid
Turpe paras, ne fiti pueri contempseris annos,
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Senibus debent reverentiam omnes sciebamus, pueris autem debent non item; ad debetur, et quidem maxime, videlicet ne coram illis aliquid committatur turpe, aut flagitiosum, aut minus decorum, unde possit exemplum trahere. Quamobrem Plato (*in dialogo 5 de legibus*): *Sapiens, inquit, legumlator senioribus praecipiet potius, ut sint coram iunioribus verecundi, ac sumnoperere caveant, ne quis iuvenum eos, aut videat, aut audiat agentes turpe aliquid, vel loquentes.* Fugiant ergo pueri improbos Herodes, Pharaones, Ismaeles, puerorum persequutores; puerum sequantur agnum quocumque ierit, et inter castitatis lilia cum illo pascantur.

Disce etiam ex hoc loco teneram custodire virtutem adhuc infantem, nec dum virilem:

Arceuda enim est a periculis, nimisque oneribus, huiusmodi virtus ne pereat. Exigua flamma vento, tenera virtus periculis exposita extinguitur; ingens flamma eodem vento, ingens virtus eisdem periculis oblata extollitur, et exardescit: nec parva cymba in magnos fluctus, nec parva virtus in magna discrimina, et labores est immittenda ne submergatur. Noluit Deus Israelitas ex Aegypto recens liberatos Philistinorum bellis obicere (*Ex. 13*): *Cum emisisset Pharaon populum, non eos duxit Dominus per viam terrae Philistinorum, quae vicina est, reputans ne forte perirent eum, si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Aegyptum: ita etiam recens ex peccato liberati, in quibus modica animi fortitudo eminet, difficilibus tentationibus non sunt obiciendi: unde Greg. Mag. (*24. Moral. c. 13*): *Ex Aegypto, inquit, exeuntes et vicino bella subtrahuntur, quia dereliquentibus saeculum, quaedam prius tranquillitas ostenditur, ne in ipsa sua tenuitudine, atque inchoatione turbati, ad hoc terribili redeant quod evaserunt; prius suavitate securitatis sentiunt, prius pacis quiete nutriuntur: post cognitam vero dulcedinem tanto iam tolerabilius tentationibus certamina sustinent, quanto in Deum altius cognoverit, quod ament.* Huc spectat illud Ambrosii (*lib. 4. in Lucam cap. 2*): *Eadem est natura virtutis quae nemorum, ut si adhuc exigua, de terrenis ad superna se subrigant, dum teneris aetas adolescit, frondibus saevi veneno dentis obnoxia, facile aut succidi possit, aut uri; si vero alta se radice fundarit, ut ramorum sublimitate sustentit, frustra iam, et ferarum morsibus, vel lacertis agrestium, vel diversorum statu procelis arbor tentatur; haec ille. Tenera virtus flo-**

ribus est similis: ut enim flores vehemens frigus, ita teneram virtutem vehemens tentatio decoquit, ut late prosequitur d. Bernardus (*sermone 63. in Cantica, et sermone 64*).

Quartum tandem documentum est, impiorum consortia, et amicitias diligenter vitandas esse, sicut et Christus infans vitavit a facie impii Herodis fugiens, et grandior factus, eius interrogationi non respondens. Certe capta a daemone anima, ad alias decipiendas fit quasi laqueus, et sicut perit comprehensa pro esca illis proponitur, quae nondum laqueo captae sunt: circa illam enim accipit laqueos figit, ut voce sua pernix relinquit circumvolitantes ad eisdem pellicae. Pythagorae duplex documentum celebre fuit: *Quae nigrantes habent caudas, gustari non oportere,* hoc est, cum hominibus consuetudinem non esse habendam, quos morum depravatio ipsa denigrat. Alterum Pythagorae documentum erat: *Non incidendum univocis decelerari.* Dextram iniicere amicitiae est: unde perinde fuit ac si diceret: Eligendi sunt amici probi, quibus dextram iniicias; improbi fugiendi, ne scabies sua te inficiant. Divi Gregorii Nazianzenii haec in idem sunt carmina ad Seleucum:

Sunt namque multi more qui peccandi scateat,
Foedaque, scabies gravibus et morbis simul
Invencus tentant simplices, si quos vident
Sive praefrictis subdole his illud studeat
Ut vitantes hos sane morbo implent.

Ab his omnibus longe vos arceri oportet, si vultis Deo homini adhaerere, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.